Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut hec mala ualeant conpensare. Volumus scire quales esse debeant uidue? le
gamus euangelium secundum lucam. Erat inquit anna prophetissa filia phanuhel de
tribu asser. Anna interpretatur gratia. fanuel. in nostra lingua resonat uultus dei.
Aser uel in beatitudinem uel in diuitias uertitur. Quia ergo ab adulescentia. usque
ad octuaginta quattuor annos uiduitatis onus sustinuerat. et non recedebat
de templo dei diebus ac noctibus insistens ieiuniis et orationibus. idcirco meruit
gratiam spiritalem et nuncupatur filia uultus dei. et atauii beatitudine diuitiisque
censetur. Recordemur uidue sareptene. que et sue et filiorum saluti helie pretu
lit famem. et in ipsa nocte moritura cum filiis. superstitem hospitem relinque
bat. malens uitam perdere quam elemosinam. et in pugillo farris seminarium
sibi messis dominice preparauit. Farina seritur. et olei capsaces erogatur. Nascitur
in iudea frumenti penuria. granum enim tritici ibi mortuum fuerat. et in gen
tium uidua olei fluenta manabant. Legimus iudith si cui tamen placet uo
lumen recipere uiduam confectam ieiuniis et habitu lugubri sordidatam. que
non lugebat mortuum uirum sed squalore corporis sponsi querebat aduen
tum. Video armatam gladio manum. cruentam dexteram recognosco. et caput ho
lofernis de mediis hostibus reportatum. Vincit uiros femina et castitas trun
cat libidinem. habituque repente mutato. ad uictrices sordes redit omnibus
seculi cultibus mundiores. Quidam inperite et debboram inter uiduas numerant
ducemque barach arbitrantur debbore filium. cum aliud scriptura commemoret.
nobis ad hoc nominabitur. quod prophetissa fuerit. et in ordine iudicum subpu
tetur. Et qua dicere poterat. quam dulcia gutturi meo eloquia tua super mel ori
meo. nomen apis accepit. scripturarum floribus pasta. spiritus sancti odore perfusa. et
dulces ambrosie sucos prophetali ore conponens. Noemin que nobiscum sonat
ΠΑΡΑΚΑΙΚΛΗΜΕΝΗ. quam interpretari possumus consolatam. marito et
liberis peregre mortuis pudicitiam reportauit in patriam. Et hoc sustentata